

ut esse inciperet, ita perpetuo pendet ex simili influxu, seu donatione ejus, ut conservetur. Dices, donari quidem a Christo, non tamen immediate, sed mediis hominibus. Respondeo, necessarium quidem esse aliquem hominum concursum, ut successorem eligant, quia hæc successio non est jure sanguinis, aut hæreditario, sed est morali modo per electionem. Nihilominus tamen ipsa potestas non confertur per homines tanquam per causam per se, ut ita dicam, quia nemo dat quod non habet, et Christus nunquam contulit hanc potestatem Ecclesiæ, vel aliis hominibus ut illam possent in alium transferre; ergo Christus ipse immediate confert. Unde Adrian. Papa in Ep. ad imperatorem, quæ refertur in septima synodo, Act. 2, in additione, quæ incipit: *Si vero*, etc., dicit, per continuam successionem in sede Petri, impleri verbum Christi, *Tu es Petrus*, etc.; et infra ait: *Ab ipso Redemptore mundi beato Petro Apostolo principatus, ac potestas data est, et per eundem Apostolum Catholica et Apostolica Ecclesia Romana usque hactenus tenet principatum et potestatis auctoritatem.*

13. *Dubium incidens.* — Atque hinc facile expeditur dubium quod solet a canonistis tractari, an Papa solus sine consilio Cardinalium leges, præsertim graves, et universales condere valeat. Quod enim non possit, tenuit Laurentius in cap. *Sunt quidam*, 25, quæst. 1; Joan. Monachus in cap. *Super eo*, de Hæret., in 6, ubi idem sentit Anchar. cum Baldo, in leg. *Cum multum*, c. de Bonis quæ lib., dicente non posse Papam infeudare castra pretiosa Ecclesiæ sine consensu Cardinalium. Et late hanc sententiam defendit Andr. Sicul. tract. de Præstant. Cardinal., part. 1, q. 1. Fundamentum esse potest, vel quia jure consuetudinis, vel quasi præscriptionis Cardinales habent acquisitum hoc jus, ut Pontifex causas graves non determinet sine eorum consilio, inter quas causas merito computatur legum latio; vel quia jure divino sunt ad id munus instituti, et ideo non possunt illo privari, et ad hoc allegatur cap. *Per venerabilem*, Qui filii sunt legitimi, circa finem, ibi: *Sunt autem sacerdotes levitici generis fratres nostri, qui nobis jure levitico in executionem sacerdotalis officii coadjutores existunt.* Confirmat hoc Andr. Sicul. ex cap. *Anastasius*, distinct. 19, ubi Anastasius arguitur de eo, quod sine consilio clericorum hæreticis communicaverit.

14. *Posse Pontificem sine consensu Cardinalium valide ferre leges.*—Nihilominus certum est in solo Pontifice esse potestatem abso-

lutam ferendi leges, ideoque posse valide illas ferre sine consensu, et sine consilio Cardinalium, licet ex honestate ac decentia id regulariter non faciat. Hæc est communis sententia juristarum, ut affirmat et sequitur Turrecremata in cap. 2, § *Ideo*, art. 2, n. 4. Eandem tenet Abbas in cap. 2 de Clericis non residen., n. 4: late Felinus, et multa referens in rubrica de Constitution., n. 2; et ibi Decius, lect. 1, quæst. 3. Pluraque in hujus sententiæ confirmationem adducit Andr. Sicul. dicta quæstione prima. Sed res clarior est quam ut multis probationibus indigeat. Unde prior pars videtur mihi adeo certa, ut sine errore negari non possit. Primo, quia talis est hæc potestas in Papa, qualis fuit in Petro; sed in Petro fuit ita absoluta, ut posset leges condere, etiam sine consilio Apostolorum, nedum aliorum inferiorum: ergo multo magis talis erit in Pontifice, ut sine consilio Cardinalium possit leges condere. Major certa est, et jam probata. Minor etiam est certa ex dictis in assertione prima et secunda, et ex verbis Christi, *Pasce oves meas*; ibi enim dedit illi potestatem etiam supra alios Apostolos; dedit ergo eam illi soli, et liberam ac independentem ab illis: at in illa potestate includitur potestas leges ferendi, ut etiam probatum est; ergo hanc habuit Petrus liberam et independentem ab aliorum consensu, vel consilio, sicut absolute illi promissæ fuerunt claves, *Tibi dabo claves*, et sicut ipse solus futurus erat petra, in qua Ecclesia fundaretur; sic ergo habet Papa a Christo potestatem; nullo ergo modo potest limitari, aut minui ab hominibus. Secundo, hoc vincunt jura sæpe allegata, præsertim cap. *Cuncta*, 9, quæst. 3, ibi: *Apostolica sedes sine ulla synodo præcedente, solvendi, et damnandi habuit potestatem; et hoc quidem pro suo principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce tenuit semper, et tenebit.* Item ex cap. ult. de Constit., ubi absolute dicitur: *Constitutio sedis apostolicæ omnes astringit*; et cap. *Sunt quidam*, 25, quæst. 1, *Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges.* Quibus locis et aliis similibus absoluta supponitur hæc potestas in solo Pontifice. Unde tertio, possumus hoc confirmare fere ex omnibus legibus pontificiis juris canonici: raro enim addunt illa verba, *sacro approbante consilio*, vel illa, *de fratrum nostrorum consilio*, quæ sæpe in Motibus propriis, vel rescriptis aliis extra jus ponuntur; in jure autem minime, sed Pontifices ferunt leges propria auctoritate, et in se solis agnoscunt absolutam potestatem, sicut impe-

rator, aut rex suas leges ferre solet. Ex quo etiam magnum argumentum a fortiori sumitur. Tandem id confirmare possumus, quia dignitas Cardinalium, nec tam est antiqua, nec ita divina et immutabilis, sicut dignitas pontificia; ergo. Ex quibus etiam concluditur sine causa dixisse Cardinalem, consil. 158, constitutionem factam a papa sine consilio Cardinalium non obligare successores, quia debet eorum consensum requirere: nam hæc ratio falsum sumit. Unde in rigore non magis obligatur successor Papæ una constitutione sui prædecessoris, quam alia, loquendo de propria et rigorosa obligatione; loquendo vero de decentia, facilius mutabit factam sine consilio Cardinalium, quam cum illo editam.

15. Nec fundamenta alterius sententiæ sunt alicujus momenti. Ad priorem enim partem recte respondent Abbas, et alii ex doctrina Innocen. in cap. *Bonæ*, 2 de Postulat. Prælat., non posse valere consuetudinem, aut præscriptionem contra supremam Papæ potestatem. Quod est veluti axioma receptum ab omnibus jurisperitis, et merito, quia non potest consuetudo humana prævalere contra jus divinum; hæc autem potestas integra, et absoluta, seu plena (ut in jure vocatur) est de jure divino; ergo non potest diminui per humanum usum, alias etiam posset auferri: nam in hoc eadem ratio est totius et partis: diminueretur autem si ex absoluta fieret dependens a Cardinalibus, ut constat. Unde tota hæc consuetudo semper pendet a potestate, et voluntate Pontificis, qui posset jura Cardinalium immutare, vel aliter constituere, si expedire censeret; unde facile respondetur ad alteram partem (quidquid sit de potestate Cardinalium, an et quomodo sit, vel manet a jure divino), omnem potestatem eligendi Pontificem, quæ in eis est, esse a jure humano, et pendere a Pontifice, ut suo loco latius ostendimus. Nec cap. *Per venerabilem*, aliquid in contrarium probat; solum enim inde habetur, Pontifices in lege gratiæ instituisse consilium Cardinalium ad imitationem legis veteris; unde non sequitur hoc pertinere ad jus divinum. Minus autem probat cap. *Anastasius*, tum quia apocryphum est, et nullius auctoritatis, ut in Decreto Gregoriano notatur; tum etiam quia ibi non agitur de usu potestatis legislativæ, sed de communicatione cum hæreticis, generando scandalum, et suspensionem de se pravam, de qua longe alia fuisset ratio, si vera fuisset historia, et non fabulosa, ut revera est.

16. *Solis Apostolis immediate a Christo esse*

datam prædictam potestatem. — Dico quarto: Christus Dominus per seipsum immediate nulli alteri contulit unquam hanc potestatem. Hæc assertio probatur auctoritate negativa, quæ in materia supernaturali et fidei est sufficiens. In Evangelio ergo non legimus alicui alteri illam contulisse extra Apostolos. Nam, licet elegerit etiam septuaginta discipulos; longe tamen diverso modo quam Apostolos, et nullibi talem potestatem eis contulit, ut bene expendit Bellarm. lib. 1 de Clericis, cap. 14. Neque etiam ex traditione Ecclesiæ haberi potest, Christum vel ante, vel post Ascensionem suam aliis dedisse immediate hanc potestatem. Suppono enim inter Apostolos comprehendi præcipue Paulum, et probabile est etiam Barnabam numerandum esse, ut sentit Glossa in cap. *In novo*, distinct. 21, ex c. *Quotidie*, 75 distinct., quod est Leonis Papæ, Epist. 79, cap. 1. Duæ tamen hic oriebantur difficultates: una de Episcopis, alia de Concilio generali, quæ in duobus capitibus sequentibus melius tractabuntur.

CAPUT IV.

POSSITNE UNUSQUISQUE EPISCOPUS IN SUA DIOECESI LEGES FERRE, ET QUO JURE.

1. Duobus modis solet potestas jurisdictionis, qualis est potestas ferendi leges, participari, scilicet, jure ordinario, et per delegationem. Prior est, ut ita dicam, per se, et omnino cadere potest sub scientiam, ac propterea de illo præcipue dicemus; nam alius modus est magis per accidens, et pendens ex voluntate hominis, et ideo de illo in fine capituli quinti pauca subjiciemus. Est autem, pro generali regula, supponendum potestatem hanc respectu totius Ecclesiæ in nullo esse præter Papam, quia non jure ordinario, ut patet ex capite præcedenti, quia non possunt esse in Ecclesia duo capita, nec etiam per delegationem, quia tam universalis delegatio nunquam fit, nec forte convenienter fieri potest, ut infra dicam.

2. *Episcopos habere potestatem legislativam in suis diocesis jure ordinario humano fundato aliquo modo in divino.* — Dicendum igitur censeo, Episcopos habere potestatem legislativam in suis diocesis jure ordinario humano fundato aliquo modo in divino. Tres partes habet hæc assertio. Prima est absoluta, quod Episcopi hanc habeant potestatem. Et hæc sine controversia recepta est, eamque tradunt ca-

nonistæ in rubrica, et in cap. *Cum omnes*, et cap. *Cum accessissent*, de Constitut., ubi Panormit., Decius et Hostiens. Item Summistæ verb. *Lex*. Potestque fundari in cap. 1 de Consecrat., d. 3, ubi Episcopi supponuntur habere potestatem præcipiendi festorum et jejuniorum observationem. Item in cap. 2 de Locato, ubi supponitur Episcopus posse statuta facere, ut ibi notat Glossa. Idem expresse habetur in cap. 2 de Majorit. et obedient., cap. 2 de Constit. in 6. Estque hæc potestas valde consentanea muneri Episcoporum, quibus dixit Paulus Actor. 20 : *Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Item de illis maxime intelligit, quod Hebræor. 13 dicit : *Obedite præpositis vestris* : item potest adduci id Matth. 18 : *Quæcumque ligaveritis*, etc. Nam sub verbo *ligandi* etiam legislatio includitur, ut supra dixi : loquitur autem ibi Christus ad omnes Apostolos, quibus Episcopi succedunt, cap. *In Novo*, distinct. 21 ; Trident., sess. 23, capit. quarto. Ex quibus concluditur ratio, quia Episcopi sunt Pastores ordinarii, et principes Ecclesiæ post summum Pontificem, et ideo ex vi sui muneris egent potestate ferendi statuta suis subditis convenientia ; illa vero potestas competit jure ordinario, quæ convenit ex vi proprii muneris : ergo.

3. *Sententia dicentium Episcopos habere potestatem legislativam jure divino, et immediate a Christo*. — Secunda vero pars, quæ affirmat hanc potestatem convenire Episcopis jure humano, magis controversa est. Aliqui enim contendunt habere illam de jure divino, et immediate a Christo, quamvis cum subordinatione et dependentia a summo Pontifice. Tribuitur Victor., relect. 2 de Potestate Ecclesiæ, q. 2, in fine ; sed revera, si attente legatur, nunquam id expresse dicit, licet favere videatur, ut infra dicam. Apertius et nimia exaggeratione id tradit Castro, de Justit. hæret. pun., cap. 24, dicens oppositum esse contra omnium sacrorum doctorum sententiam, nullum vero designat. Ei vero adhæsit Gabriel Vasq. 1. 2, disput. 152, cap. 3. Potestque hæc sententia suaderi ex principiis positis. Primo, quia Apostoli habuerunt hanc potestatem immediate a Christo ; sed Episcopi sunt Apostolorum successores ; ergo succedunt in hac potestate ex vi donationis Christi, ac subinde ab illo immediate eam habent, non a Pontifice. Major posita est in capite præcedenti ; minor autem proxime probata est ex jure, et ex Concilio Trident. Consequentia item in simili probata est capit. 3. Confirmant hoc ex verbis Christi

Matth. 18 : *Quæcumque ligaveritis super terram, etc.*, quæ non tantum ad personas Apostolorum, sed etiam ad Episcopos eorum successores dicta fuere. Item inducunt verba Christi Lucae 10 : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit, etc.* Nam illa ad Apostolos et eorum successores pertinent, ut tradunt Cyprian., lib. 4, Epist. 9, et Basil. in Constitut. monast., cap. 23, et eodem modo possunt induci verba Pauli Roman. 13 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Nam etiam ibi intelliguntur potestates ecclesiasticæ, ut omnes fatentur, quia sunt veræ potestates : inter has autem maxime intelliguntur Episcopi sub Pontifice. Denique simile est illud ad Hebræos 13 : *Obedite præpositis vestris, etc.*

4. Secundo, quia munus episcopale est de jure divino, ut suppono ; ergo quidquid est intrinsece annexum tali muneri, est de jure divino ; sed jurisdictio ad ferendas leges est necessario conjuncta cum episcopali munere, quia non potest convenienter pastorale munus exerceri sine tali potestate ; ergo. Ita enim supra colligebamus Christum dedisse Apostolis jurisditionem immediate, quia dedit illis Apostolatam, cui est intrinsece necessaria jurisdictio ; ergo simili proportionem procedit in Episcopis, saltem quoad jurisditionem eis proportionatam. Dices episcopatum esse de jure divino quoad consecrationem et potestatem ordinis, non vero quoad episcopatum ipsum, ut includit curam et gubernationem. Sed contra hoc obstat primo, nam Paulus dixit : *In quo vos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, etc.* Nam regendi verbum aperte dicit pastorale munus. Secundo, quia episcopalis consecratio confert per se ipsam episcopalem dignitatem ; ergo confert jurisditionem, saltem in habitu, seu in actu primo, licet non conferat usum donec applicetur illi materia. Sicut in ordinatione sacerdotis datur potestas absolvendi, quæ est jurisdictio in habitu.

Tertio, possumus argumentari ex usu antiquissimo Ecclesiæ, quia in principio Apostoli creabant Episcopos, inconsulto Petro, et postea fiebant per electionem cleri, aut populorum, et statim censebantur esse Episcopi sine speciali recurso ad Pontificem, vel alium hominem ; ergo signum est potestatem illam dari immediate a Deo, facta designatione personæ per electionem, vel per alium legitimum modum, sicut de summo Pontifice diximus. Et confirmatur, quia Episcopus, cum leges fert, non potest dicere se ferre illas potestate sibi

a Papa concessa ; sicut non potest hoc dicere quando excommunicat, vel a censura absolvit ; nam hoc pertinet ad delegatum, non ad ordinarium judicem, sed potest, et debet dicere Episcopus : Ego potestate a Christo accepta, vel quid simile ; ergo signum est habere illam immediate a Christo.

5. *Opposita sententia vera colligitur ex communi theologorum*. — Nihilominus dicendum est hanc potestatem legislativam non dari immediate a Christo, sed per summum Pontificem ; neque esse de jure divino, sed de humano. Similem assertionem posui in tomo 4 de jurisditione in foro poenitentiae, et in tomo 5 de potestate absolvendi a censuris : consequenter ergo in præsentem idem assero de potestate legislativa. Quam sententiam ex veteribus theologis colligimus, quatenus asserunt potestatem clavium, aut jurisditionis, quatenus ad gubernationem Ecclesiæ spectat, ad omnes alios per Petrum et successores ejus derivari ; nam clarum est hanc potestatem legislativam sub illa jurisditione contineri : imo major est ratio de illa, ut ex discursu patebit. Illud autem principium sumitur ex divo Thoma, 4 contra Gentes, cap. 76, ratione 4, ubi dicit ideo Christum specialiter Petro promississe : *Tibi dabo claves, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem*. Idem sentit 2, distinct. 44, in fine, circa expositionem litteræ. Et loquens de potestate concedendi indulgentias in 4, distinctione 20, quæst. unic., art. 4, quæst. unic., c. 3, dicens : *Papa habet plenitudinem potestatis pontificalis quasi rex in regno ; Episcopi vero assumuntur in partem sollicitudinis quasi judices singulis civitatibus præpositi* ; unde concludit habere potestatem secundum ordinationem Papæ, et non amplius. Idem sentit distinctione 24, art. 5, quæst. 3, ad 4 ; et Durand., quæst. 2, n. 13 ; Soto, distinct. 20, quæst. 1, art. 4 ; Cajetan., tom. 1 opuscul., tract. 1, cap. 19 ; expresse Anton., 3 part., titul. 22, cap. 4, § 1, verb. *Septima*, cum Hervæo, tract. de Potestate Papæ, latissime Francisc. Vargas, tract. de Auctoritate Pontificis, quæst. princip. ; Bellarm., libr. 4 de Romano Pontifice, cap. 24 ; Salmeron, tomo quarto, parte tertia, tractatu quarto.

6. Ut autem hanc sententiam sine vocum ambiguitate probemus, advertendum est contrariam sententiam duobus modis solere explicari. Prior supponit imprimis id quod certum esse credimus, scilicet, consecrationem episcopalem, et potestatem ordinis, quæ ex vi illius

confertur, esse ex Christi institutione, et ita ex vi juris divini conferri, et recte dici posse immediate a Christo dari. Hoc in materia de ordine ex professo probandum est : nunc breviter declarantur singulæ partes. Nam, sicut Christus instituit ut essent in Ecclesia sacerdotes, ita etiam instituit ut essent Episcopi, qui in gradu ordinationis suæ essent superiores et potentiores ; unde multa possunt efficere per potestatem ordinis, quæ non possunt sacerdotibus vel omnino, vel ex vi tantum suæ ordinationis : ut conferre ordines præsertim sacros, et maxime sacerdotium, confirmare, et alia. Hæc ergo potestas non potest esse nisi ex Christi institutione, quia per illam datur character et potestas consecrandi et absolvendi, et gratia sanctificans, quæ non possunt esse ex institutione humana : ergo consecratio episcopalis, per quam talis potestas datur, de institutione Christi est. Item, quod personæ sic consecratæ detur specialis potestas, de jure divino est, nec potest talis potestas impediri, aut limitari per homines, si consecratio valida est. Ac subinde recte dicitur a Christo immediate dari, quia, licet intercedat actio ministri consecrantis alium in Episcopum, ille solum se gerit, ut minister applicans, seu efficiens sacramentum, seu consecrationem : Christus vero ipse est et proximum et principale operans propria virtute : ex vi ergo suæ institutionis tantum confert illam potestatem quasi de suo, vel (ut ita dicam) de suo communicat participationem immediatam suæ potestatis.

7. *Explicatur opinio Castri et Navarri*. — Hoc supposito, dicit Castro hanc potestatem sic datam Episcopo ex vi suæ consecrationis, non solum esse potestatem ordinis, sed etiam jurisditionis ; quia ex vi illius potest Episcopus consecratus jus dicere, si ei applicetur materia, ad eum modum, quo Navar. et alii alii dixerunt omnes sacerdotes ex vi ordinationis suæ recipere jurisditionem in habitu (ut ipsi loquuntur), licet ea uti valide non possint, nisi eis applicetur materia. Ita etiam explicat hanc sententiam Vasq. supra, utens eadem similitudine et proportionem, et declarans illam applicationem materiæ non esse per solam approximationem præexistentis materiæ ; sed esse per moralem effectationem ipsius materiæ, quæ simul fit et approximatur ; quia materia illa sunt subditi, ut tales sunt ; in præsentem ergo tunc applicatur materia, quando efficiuntur subditi, nec aliter applicantur quam faciendo in eis subjectionem. Hanc vero sententiam sic declaratam non aliter pro-

bat hic auctor, nisi quia existimat hanc potestatem activam jurisdictionis fuisse promissam Apostolis, Matth. 18, illis verbis: *Quaecumque alligaveritis*, etc.; item ultima confirmatione supra posita, quod Episcopus non potest dicere: *Ego excommunico per potestatem a Papa acceptam*.

8. *Refutatur Navarrus.* — *Cum superior et subditus sint correlativa, ideo unum sine alio non potest fieri.* — Mihi autem in tom. 4, disput. 16, sect. 3, opinio illa Navarri (unde in praesenti sumitur proportio) valde displicuit. Primum, quia in re solum mutat loquendi modum contra receptas locutiones Conciliorum et scholasticorum, ut ubi ponderavi, et constabit clare intuenti loca D. Thom. et scholasticorum, quae proxime citavi, qui appellant potestatem ordinis eam, quae datur ex vi sacramenti, et praeter illam requirunt potestatem jurisdictionis, quae datur extra sacramentum per hominis concessionem nudam. Illa autem jurisdictio in habitu, quam Navarrus sic nominat, non est nisi potestas ordinis in corpus Christi mysticum, nec plus potest operari sine alia, quam potestas illa quam scholastici ordinis vocant. Deinde, quia si necesse est, ut postea fiant homines subjecti tali personae, ut per illam potestatem possit in illos operari, ut in praesenti Vasquez fatetur, ergo necesse est ut sacerdos, vel Episcopus consecratus de novo fiat superior respectu talium subditorum, quia superior et subditus correlativa sunt, et ideo non potest unum fieri prius quam aliud, neque unum sine alio. Ergo, cum applicatur materia, et fiunt subditi, superior accipit novam potestatem, et jus, et quasi dominium in illos, quia per talem potestatem formaliter constituitur superior: ergo illa est etiam potestas jurisdictionis; ergo, ultra potestatem datam per ordinationem, requiritur potestas jurisdictionis data per homines; ergo in idem revolvitur, et immerito prior vocatur potestas jurisdictionis etiam in habitu, quia est potestas omnino absoluta a subditis, quod repugnat jurisdictioni. Dicent fortasse dicere habitudinem ad eos qui possunt fieri subditi. At certe hoc modo quolibet homo habebit jurisdictionem activam regalem, quia habet rationem et voluntatem, quae habet potestatem imperandi eis qui fieri possunt subditi, quod ridiculum est: sic enim simplex sacerdos ex vi ordinationis nihil plus habet superioritatis vel jurisdictionis, quam veluti capacitatem proximam ad superioritatem, et jurisdictionem in foro poenitentiae exercendam, si detur: tunc autem

sicut superior non est, ita nec jurisdictionem habere dici potest.

9. *Episcopus electus et confirmatus, non consecratus, potest efficere ea quae sunt jurisdictionis, etiam indulgentias concedere.* — Verumtamen, licet ille modus loquendi in illa materia habere posset aliquam verisimilitudinem, in praesenti nullam habere potest: idcirco enim illam partem hic repetii et declaravi, ut ex comparatione magis innotescat falsitas illius sententiae. Probatur ergo assumptum: nam actus proprius jurisdictionis in foro poenitentiae essentialiter pendet a potestate ordinis, scilicet, absolutio a peccatis, et consequenter omnis actus ligandi et solvendi in illo foro eandem dependentiam habet. Nam, licet contingat aliquem habere jurisdictionem per parochiale beneficium, si non sit sacerdos, non potest per se absolvere; unde fit ut actus ille simul essentialiter sit consecrationis (ut sic dicam) et ordinis, et ideo potestas ordinis sacerdotalis est potestas per se requisita ad absolvendum, et principium per se absolutionis: unde, quia absolutio est actus dicendi jus, potest aliquo modo illa potestas dici jurisdictionis, ut sic dicam. At vero in Episcopo nullus est actus jurisdictionis qui per se pendeat a consecratione, et ideo Episcopus electus et confirmatus potest efficere ea quae jurisdictionis sunt, juxta cap. 1 et 2 de Translat. Episc., et cap. *Transmissum*, de Elect., ubi id notat Glossa ultim. ab omnibus recepta, ibidem. Unde etiam indulgentias concedere potest nondum consecratus, imo nec ordinatus sacerdos, ut docuit divus Thomas in 4, distinctione vigesima, quaest. unic., artic. 4, quaestione secunda; et Panormitan. in cap. *Accedentibus*, de Excess. Prælat., numer. 4, cum aliis; cum tamen indulgentiarum concessio videatur actus maxime spiritualis inter omnes qui sunt jurisdictionis. E contrario vero Episcopus consecratus, licet nullos subditos habeat, potest valide efficere omnes actus proprios ordinis episcopalis. Quamvis enim, ut recte fiant, necessaria sit licentia superioris, tamen, si absque tali licentia confirmet vel ordinet, valida est ordinatio et confirmatio, ut est certum apud omnes. Ergo character, seu consecratio episcopalis non est principium per se alicujus actus jurisdictionis: nullo ergo modo dici potest, quod sit jurisdictio activa, neque actu, neque habitu, quandoquidem sine illo principio fiunt omnes actus jurisdictionis episcopalis, et quando illud inest cum jurisdictione, solum se habet quasi concomitanter respectu actionum purae jurisdic-

tionis, vel ut conditio quaedam significans personam, et constituens habilem ad alias actiones magis sacras.

10. *Tota jurisdictio episcopalis potest committi non episcopo ut illa uti possit.* — Et confirmatur primo, quia propter hanc causam tota jurisdictio episcopalis committi potest non Episcopo, non solum quoad potestatem, sed etiam ut illa per seipsum uti possit: nec solum potest delegari, sed etiam ordinaria dari, ut certum est de multis Abbatibus et de Prælatibus religionum, de quibus paulo infra dicemus: ergo signum est consecrationem episcopi non dare ullo modo potestatem jurisdictionis, quia et esse potest sine ulla jurisdictione, id est, sine episcopatu, ut dicitur in cap. *Inter corporalia*, de Translat. Episcop.; et e contrario jurisdictio episcopalis potest esse, et exerceri sine consecratione. Unde etiam colligitur hanc jurisdictionem non consistere in applicatione materiae, quae sit distincta a potestate vera et morali quae datur Episcopo per concessionem omnino distinctam a consecratione: per hanc enim potestatem ille fit superior, et alii fiunt subditi, neque alia materia ibi cogitari aut desiderari potest.

11. *Potestas spiritualis jurisdictionis confertur Papæ per electionem et nudam concessionem Dei sine consecratione.* — Tandem confirmatur et declaratur ex potestate pontificia, quae est veluti primum exemplar omnis potestatis spiritualis jurisdictionis; nemo enim negabit illam esse veram potestatem spiritualem activam jurisdictionis, imo supremam in illo ordine, quae in puris hominibus esse potest: illa autem non datur Pontifici per ullam consecrationem, sed per electionem, et nudam concessionem Dei; quando enim dixit Petro: *Pasce oves meas*, nullam novam consecrationem, vel characterem illi impressit, sed puram potestatem jurisdictionis illi præbuit. Sic etiam Papa, cum rite eligitur, statim est verus Papa quoad talem potestatem, et nullam consecrationem inde accipit: imo, si non episcopus, vel sacerdos, postea consecrandus est, vel etiam ordinandus, et interim nihilominus potest omnes actus solius jurisdictionis externe exercere: ergo eodem modo conceditur aliis episcopis propria potestas jurisdictionis per electionem, vel puram concessionem, non per consecrationem; est enim eadem ratio, tum quia episcopalis potestas non est nisi participatio quaedam papalis potestatis; tum etiam quia, sicut in constitutione Papæ non est aliud applicare illi materiam, quam facere illi subditam univer-

sam Ecclesiam, nec facere illi subditam est aliud quam dare illi veram et novam potestatem supra illam; ita, quando Episcopo consecrato tantum datur episcopatus, non aliter applicatur illi materia, nisi quia aliqui denuo illi fiunt subjecti; nec fiunt subjecti nisi dando illi novam potestatem superioris distinctam omnino a potestate ordinis, seu a consecratione; tum denique quia sicut actus pontificiae jurisdictionis, ut sic, non sunt actus ordinis, vel consecrationis, nec ab illa manant; ita nec actus episcopalis jurisdictionis; et simile argumentum sumi potest ex jurisdictione Apostolorum, ut consideranti facile patebit.

12. *Respondetur argumentis oppositæ sententiæ.* — Quapropter modus ille declarandi et defendendi illam sententiam verisimilis non est: nec recte pro illo adducitur promissio Christi Matth. 18: *Quaecumque alligaveritis*, etc.; nam ex vi verborum ibi non fuit promissa potestas ordinis episcopalis, sed fuit promissa potestas judiciaria, et jurisdictionis coactivae spiritualis, quae de se dari posset, et interdum datur sine consecratione personae, quamvis alias Christus voluerit, ut per se primo, ac principaliter sit in Episcopis. Ratio vero illius sententiæ non urget, quia solum nititur in quodam modo loquendi, et gratis ac sine probatione sumit, non potuisse usu introduci, ut Episcopi etiam in actibus suae jurisdictionis ordinariae dicerent, *auctoritate mihi a Vicario Christi concessa*, vel quidpiam simile, sicut ordinarii iudices et gubernatores regum dicere solent, *præcipit Majestas regia*, vel aliud æquivalens: his enim iudicibus æquiparat Episcopos D. Thom. 4, dist. 20, quaest. unic., art. 2, quaestione 3; quod ergo hoc non sit in usu, non est quia non possit esse, nec quia jurisdictio Episcoporum detur immediate a Deo, seu per consecrationem, quod patet, quia de inferioribus Prælatibus habentibus jurisdictionem episcopalem sine consecratione, nemo dubitat quin habeant illam jure humano et a Papa, et tamen illi etiam non utuntur illo modo loquendi: non est ergo quia non possint, nec quia habeant jurisdictionem immediate a Deo. Igitur in utrisque est, vel propter modestiam et moderationem Pontificum, qui, licet dent potestatem, intelligunt illam esse principaliter a Christo, et in illum esse omnia referenda, quia ille est principale operans, ipsi vero sunt Vicarii ejus. Vel certe id fit, ut distinctio servetur inter potestatem delegatam et ordinariam, ne confundantur, vel ambiguitates oriantur. Vel certe, quia ordinaria potestas